

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Salutem in Domino.

AD diem III. Kal. Augusti conventus fuit scholasticus, in quo primum Wil-
uishiemo. visitatione abeunti, substitutus est Golius, quem superiore confesso
Gyphanio & Planero adjunxerant. Inde horarum distributio recitata: exarbitrio
Rectoris & visitorum. Tertius fuit sermo de discipulis, quos Sturmius in desi-
gnatos & designandos descripsit: hi intra biennium, illi anno vertente Magistri
erunt Attici & Romani, ac quantum video, prima non ornabuntur laurea. Cum
de iis autem dici ceptum esset, qui in Collegio vivunt, recitavit Dasypodius episto-
lam Zikeli, quam ut ineruditam, & consarcinatam, magna cum verborum amarum-
lencia Sturmius confestim excepit: & quia ab Hero subornatus ille sit, se jam respon-
dissè ait, & ad Gotteshemium accedens scriptum offert. Atque ita denuo ad He-
rum conversa oratione, Ego tibi ostendam Sophista, quid sit Ecclesiam evertere
Magistratus & Scholarum auctoritatem labefactare, scholas perdere. Mox ad
Mülhemium: Scio quibus ille me mendaciis apud te deformarit, sed spero te triduo
hoc aliter de me & de ipso sensurum. Accusat me Zvinglianismi, cum sciat, me ei
aliquando dixisse: Mihi non placere eos, qui nimis frigide de Cœna loquuntur: Sed
nunquam excusavit me, imò confirmavit suspicionem hanc. Ante annum sacra sy-
naxi sum usus cum mea foeru, quod ipse pro Revocatione & Palinodia est interpreta-
tus, sed ego, quod jam sentio, sensi ante annos 10, 12, 20. nullum unquam integrum
librum Zvinglii perlegi. Mülhemius autem prudentiss. respondit, primo injuriam
fieri Hero, qui nunquam nisi honorifice de St. apud se sit locutus. Sed ego ipse te
Zvinglianum esse ajo. Cur enim ad nostram te Ecclesiam non adjungis, si Zving-
non es? Cur ante decennium, cum in Zvinglianos Specceris esset investus, tam
acerbe ad eum scripsisti? (Vellem etiam acerbius scripsissem, ait ille, quam feci) cur
eum, qui nostræ religionis non est, quem nos è schola propter Zvinglianismum eja-
cimus, Baronibus Hof kirchis præfecisti? Ad quæ nihil Sturmius, nisi non se conse-
stim damnare posse, quicquid displiceat Marbachio. Sed Mülhemio repetente ser-
monem, se, quæ nostri Magistratus Religio sit, scire, quam multis in Comitibus sit pro-
fessus; itaq; neminem sibi persuasurum, ut existimet, vel St. vel Pisc. Zvinglianum
non esse. Ter etiam Herus loqui occeperat, modeste se excusaturus & p. o. restatu-
rus contra has calumnias, sed jurgium inter hos duos tantum erat, ut infecta re disce-
deretur. Habetis egregii conventus actus, cætera ex scriptis, quæ una mittuntur,
intelligeris. Ac quid futurum est, aut quis finis erit contentionum, & quod Con-
cordiæ principium? De me dicam: equidem antehac indies pejus sperare cepti, sed
in hoc furore & hac rabie nescio, quomodo me recolligo, mihi que persuado, vim
hanc neque perpetuam neq; diuturnam esse posse. Et quanquam ratio adhuc nulla
apparet præsidii aut auxilii, tamen eo loco res est, ut divino auxilio sit oportunissima.

Vide

Video vitam, fortunas, famam Heri semel oppugnari, sed quod tu, Erasme, ad eum scripsisti, concepta vanitate parient mendacium. Scis enim illud: Adjutor in oportunitate. Et Ezechiae res ita deploratae erant, ut diceret: Filios venisse usque ad partum, & vires non sufficere parturienti; & tamen juvit eum DOMINUS. Sed quid aliena exempla recito? Quoties divinam opem praesentissimam Pater noster rebus desperatissimis expertus est? quoties cum jacere jam & pessum iisse videretur, victor extitit hostium? Eritis itaque animo magno & excelso, sed ita tamen, ut quia periculum intelligitis, precibus vestris atque votis Hero adsitis. M. certe Florus bonam nobis operam navat, sed Walterus vel tacet, vel consentit; sperat enim, se Magistrum posse fieri, atque etiam amplius aliquid, in quo tamen spe sua fallatur. Giphanius & Planerus ita ut ceperunt, nostri sunt, & vos amant, quantum ex familiaribus colloquiis possum intelligere. In Ecclesia Petrina auditi sunt Lipticius, Grinusus, Waltherus, ego: sed nudiustertius Lipticius a suis electus est, & cras credo a Magistratu confirmabitur. De Illyrico nihil habeo, quod scribam: Silet enim adhuc Magistratus, sed Leichtensteigerus Consul Hero nuper dixit, metuere se, ne plurimum negotii nobis cum eo futurum deinceps sit, quam antehac. Sed Herus, si aliquid tentabitur, simpliciter ad Ecclesiarum Augustanae Confess. iudicium provocabit, neque amplius se patietur involvi. Professionem Rostochianam, ut nostra sunt tempora, probo; sed magis eam probarem incunte vere, quam sub brumam, valetudinis vestrae causa. Quod autem a me petis, Erasme, ut Francofurtum ad vos descendam, tamen nondum plane confirmo, tum quia video Heri animum ab eo consilio alienum non esse, si proximis literis idem ab Hero & a me petetis, libenter vobis obsequar, maxime cum ab illa ora maris Balthici rariores simus accepturi a vobis literas. Cleinio locutus sum de libro Psalmorum, qui suam quidem operam pollicetur, sed invenire ne possit exemplum Libri, dubitat. Certe hoc biduo nondum nactus est, & Theodosius nulla se habere dicit. Itaque quid promittere tu, Philippe, possis Dn. Joan. Bernhardo, nescio, dabo tamen operam, si fieri poterit, ut habeat. Vicissim a vobis peto, ut meo aere curetis describendum Colloquium inter D. Jacobum & Illyricum: nam meum exemplum in Curia est, ceterorum autem nemo descripsit; mittite quamprimum. Caetera vel proximis literis, vel si videbitur coram, Valete. Raptim Argentorato, Cal. Aug. 72.

Vester

Pappus.

CXI.

S. in Christo. Reverendiss. & clariss. Vir.

Litterae tuae, & priorae & proximae nobis redditae sunt. Ac reverenter, & amatissime gratias agimus, pro sollicitudine vestra, quod denuo iudicium vestrum nobis

com-